

repellentur? Pari robore opus est. In illa terra, quae hos genuit, auxilia quaerenda sunt. Argentum istuc atque aurum, ad conducendum militem mitte.

CUM IN CYDNUM ALEXANDER ABLUENDI CORPORIS GRATIA INTEMPESTIVE DESCENDISSET, GRAVISSIMO MORBO CORRITUR REX IPSE.

(LIB. III. c. 5.)

Medium Cydnus amnis interfluit, et tunc aestas erat, cuius calor non aliam magis, quam Ciliciae oram vapore solis accedit: et diei fervidissimum tempus cooperat. Pulvere ac sudore simul perfusum regem invitavit liquor fluminis, ut calidum adbuc corpus ablueret. Itaque veste deposita in conspectu agminis, decorum quoque futurum ratus, si ostendisset suis levi ac parabili cultu corporis esse contentum, descendit in flumen. Vixque ingressi subito horrore artus rigere coeperunt: pallor deinde suffusus est, et totum propemodum corpus vitalis calor reliquit. Exspiranti similem ministri manu excipiunt, nec satis compotem mentis in tabernaculum deferunt. Ingens sollicitudo, et pene jam luctus in castris erat. Flentes querebantur: *in tanto impetu cursuque rerum, omnis aetatis ac memoriae clarissimum regem, non in acie saltem, non ab hoste dejectum; sed abluentem aqua corpus erectum esse et exstinctum.* Instare Darium, victorem antequam vidisset hostem: sibi easdem terras, quas victores peragras- sent, repetendas; omnia, aut ipsos, aut hostes populatos, per vastas solitudines, etiamsi nemo insequi velit, euntis, fame atque inopia debellari posse. Quem signum daturum fugientibus? quem ausurum Alexandro succedere? Jam ut ad Hellespontum fuga penetrarent, classem, qua transeant, quem praeparaturum? Rursus in ipsum regem misericordia versa; illum florem juventae, illam vim animi, eumdem regem et commilitonem, divelli a se et abripi, immemores